

05

A

1171









I. N. J.  
DISSERTATIO  
DE

# JURE CAPTIVO- RUM.

Q V A M

INDULTU NOBILISS. JCTORUM FACULTA-  
TIS IN ALMA LEUCOREA  
PRÆSIDE



*Nobilissimo, Excellentiss. Ampliss. VIRO*  
**DN. GOTTFRIDO SVEVO,**  
Jcto, & Antecessore in Academia VVittebergensi  
celeberrimo, Curia Electoralis, Facultatis Juridicæ,  
Scabinatus, Consistorii Ecclesiastici, & Dicasterii Inferio-  
ris Lusatia Assessore eminentissimo

*Patrono suo ac Praeceptore Principe  
examine publico submittit*

**CASP. FRIDER. COCH,**  
MECKLENBURG.

*In Auditorio Jctorum.*  
D. I. August.

---

WITTEBERGÆ,  
*Typis exscripsit Joh. Hake, Anno MDC LVII.*



# VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, EXCELLENTISS.  
AMPLISSIMIS

DN. THEODORO Reinking /

Jcto celeberrimo, Sacri Cæsarei Palatii

Comiti eminentissimo,

Sereniss. Potentiss. Daniæ Regis

FRIDERICI TERTII

Consiliario intimo, ac Cancellario,

Cognato,

DN. JOHANNI MACRINO,

Jcto, Sereniss. Mecklenburg. Ducis

ADOLPHI FRIDERICI

Consiliario gravissimo, Lunæburgensium Consuli  
prudentissimo, Hæreditario in Rüstou /

Zimpfenberg / &c.

DN. JOH. LEVINO Serberu /

Jcto, Sereniss. Mecklenburgens. Ducis

GUSTAVI ADOLPHI

Consiliario meritissimo,

*Dominis, ac Patronis Studiorum suorum Opt. Max.*

*Primitias hasce Juridicas*

*Cum voto æternæ in Deo felicitatis*

*Dat*

*dicat*

*consecrat*

AUTOR



05 A 1171



# CASPARI-FRIDERICI COCHI

DE

## JURE CAPTIVORUM

DISSERTATIO

CAPUT I.

### De Jure veteri in captivos.

- |  |   |
|--|---|
| I. Armâ & litera consulunt Reip.                   | VIII. Etiam apud Hebraeos.                                  |
| II. Utrisq; cum modo utatur Princeps.              | IX. Postmodum servati, ut servi essent.                     |
| III. Cause bellorum alia justifica, alia suasoria. | X. Quæ servitus ad posteros etiam extendebatur.             |
| IV. Justa belli causa spem victorie parit.         | XI. Limitata à Jure Civili.                                 |
| V. Captivi clementer habendi.                      | XII. Postliminii jus quale?                                 |
| VI. Captivi quinam hic dicantur.                   | XIII. Jus vetus de captivis apud omnes gentes non obtinuit. |
| VII. Olim licitè occidebantur.                     | XIV. Quid fuerit antiquis coronis indultis vendi?           |

I. Armis & literis in Rep. opus est, ut utrumq; tempus & Bellorum & Pacis à Principe rectè gubernari queat, Justinianus in proœm. Instit. Hinc Strabo Lib. XVII. de Augusto scribit: Καὶ πόλεμος καὶ εἰρήνη κατέσθη κύνει & διὰ βίη. Fallor autem, an literis plus debeat Resp. Incidunt enim in bellis negotia, quæ doctrinam & prudentiam magis requirunt, quàm vim armatam. Hinc illud Ciceronis I. Officiorum:

*Cedant arma toga, concedat laurea lingua.*

Adeo nec in ipso ardore bellici tumultus literatorum industriâ Principes carere amant. Quid enim apparatus bellici sine consiliis? fumus. Quid Viri? funus. Interim in actu differenti militibus prærogativam facile concesserim. Consulendi erunt And. Gailius II. obs. CXIIX. n. XVI. Joh. Lauterbach. tr. de armis & literis. Magnific. Dn. Reinking. lib. I. de R. S. & E. cl. V. cap. xi. n. xc. D. Erasm. Ungepauer. Exerc. Justin. I. qv. VII. D. Wilhelm. Ludvv. Disp. I. ad Instit. th. II. lit. A. J. Lips. Lib. V. Polit. c. II. Apud Græcos veteres Pericles, Xenophon, & Thucydides,



dides, apud Romanos Julius Cæsar, & Lucullus armis & literis simul excelluisse feruntur. De Druso Claudio Vellej. Patercul. *Lib. II. Historiar. cap. XCVII.* scribit: *Drusi Claudii ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est.* At exempla hujusmodi rara sunt, ad quæ jura nõ aptantur, *L. V. D. de LL.* De Jacobo Angliæ Rege, ejus nominis VI. Adolph. Brachel. *Lib. II. historiar. nostr. tempor. memoria prodidit, quod à nullâ re magis, quàm bello alienus fuerit, cum maximè literarum commentatio eum oblectaret.*

II. Et quidem de literis, earumqve fructu hîc non acturo sufficet illud Cassiodori: *Desiderabilis eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam.* Ibi prudens invenit, unde sapientior fiat, ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur, inde Princeps accipit, quemadmodum populos sub æqualitate componat. *Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quæ literarum non augeat gloriosa notitia, Var. L. X. Ep. III.* Apparet hinc, quid ipsi Principes literis acceptum ferre teneantur, qui cum ipsi regunt, à sycophantis se regi non patiuntur, *Jacob. Zevecot. Obs. Polit. ad Sveton. Jul. Cæs. c. LVI.* Modus tamen tenendus est Principi in his, ne literio cum Juliano audiat, *Lips. in not. ad Lib. I. Polit. c. X.* Imò in singulis vitæ nostræ articulis meminisse conveniet, modum in cunctis esse servandum, *Fr. Petrarch. Lib. III. rer. memorand. tr. II. c. xxxiv.* Maximè verò in bellis gerendis accurata modi habenda ratio erit, cum & aliàs eventus rarò respondeat conamini. In multis Principibus, si fidem faciunt Historici, adolescentia & perpetua felicitas ferociora fuere, quàm ut quietis locus esset consiliis. Οὐδὲν γὰρ ἔτα γαῦρον, ἢ τεχνὸν, ἢ δυσαρκτόν, ὡς ἀνὴρ ἔφω εὐπραγίας δοκῆς ἐπιλαμβάνομεν, verba sunt Plutarchi πρὸς ἠγεμόνα ἀπαίδευτον. Huic opinioni felicitatis subiti & vehementes impulsus temeritatis se sociant, quorum ictibus hominum mentes concussæ nec sua pericula dispicere, nec aliena facta justâ æstimatione prosequi valent, *Valer. Max. lib. IX. c. IIX.* Et ne exemplo destituar, Julius Cæsar bellandi usqve adeò primis annis cupidissimus fuit, ut non ex destinato tantû, sed ex occasione, & sæpè horridis tempestatibus, quibus nedum castra motu-

rus,



rus, sed nec iter ingressurus quisquam videretur, pugnam cape-  
pessere consuevisset. *Θνειότηλα* vocat Aristoteles, cum hoc viti-  
um humanum excedat modum. Mihi videtur prædo esse, cui  
*πόλεμος ἀπερράσις* arridet, & qui tantum ex voluptate bel-  
la gerit. Sed in extremo ætatis Jul. Cæsar non voluptate, sed  
aut NECESSITATE, aut evidenti & magnâ UTILITATE bellum  
suscepit, autore Petrarcha *III. rer. memorand. tr. II. cap. III.* Di-  
dicerat quippe, degeneris animi signum esse, nocere cum pos-  
sit, occasionem expectare, non causam. Machiavell. *in Prin-  
cipe suo cap. XXVI.* *Id bellum est justum, quod est necessarium, & ea  
arma pietatem redolent, cum nulla alia in re, quam in illis, spes  
omnis vertitur.*

III. Nec frustra Petrarcha ait, aut NECESSITATE, aut evi-  
denti UTILITATE bella demum movisse Cæsarem. Non enim  
semper eadem bellorum causæ sunt, cum aliæ moveant sub ra-  
tione utilis, distinctæ ab his, quæ moventur sub ratione justæ. Has  
justificas, illas svasorias Grotius vocat *II. de I. P. & B. c. I. n. I. c.  
XXII. n. I.* Justas causas ex Ulpiano voco graves ac probabiles,  
*L. XXIX. pr. D. ex quib. caus. major. XXV. ann. in integr. restitunt.*  
Polybius, qui id discrimen primus notavit, causas svasorias  
generis nomine *ἀντίας*, justificas *περράσις* nuncupat, quod pa-  
lam proferri soleant. Eo nomine prodiit non ita pridem E-  
pistola personati cujusdam, Cyriaci Thrasymachi, de Justitia  
armorum Svecicorum in Polonos. Sic & ante paucos dies  
Jus Feciale armatæ Daniæ typis commendatum fuit. Quam-  
vis autem Grotius *dicit. Lib. II. c. I. n. I.* causas bellorum etiam  
principia dici posse autumet, Scaliger id minus rectè fieri con-  
tendit: *In negotiis (inquiens) humanis causa nomen commune est  
& pro principio agente, & pro fine. Sic ἀντία bellorum tradit Hero-  
dotus per initia suarum historiarum. Vix tamen dixerit aliquis,  
Trojani belli principium fuisse Helenes adulterium, sed causam po-  
tius. Principium usitatius pro ipso belli initio, quo cecidit Protefila-  
us. Occasio verò neq; causa, neq; principium est, sed commoditas,  
de subtilit. exerc. cccLXIV. distinct. II. Causam tamen in hac ma-  
teria titulum vocari posse non ambigo. Fecit id aliquoties  
Livius. Ita in Jure nostro ad usucapionem perficiendam præ-*



ter possessionem per tempus lege definitum continuatam  
requiritur justus titulus. *L. xxvii. D. de usurpat. & usu-  
cap. L. xxiv. C. de rei vindic.* qui etiam causa vocatur  
*pr. Instit. & §. vi. de usucap.* Sed ut ad causas bellorum redeam,  
utilitas par jus cum necessitate haud facit. Probè id tenendum  
Principibus, qui modum in bellis & rationem observare, quam  
excedere malunt, neque in armis jus ferre anhelant. Frequens  
aliàs est, ut pretextu aliquo verisimili, nullum colorem justitiae  
ducente, facta sua excusent, qui legitimam causam destituuntur,  
*Jacob. Zevencor. Obs. Polit. ad C. Svetonii Jul. Caesar. c. xxx.* Wilhel-  
mus-Ferdinandus ab Efferen nihil tam in Rege aut Rep. commit-  
tente, quam in Duce commisso ad bellum majoribus votis deside-  
rat, quam ut à fraudibus Idoli status caveant, ne sine necessitate in  
bella consentiant, ne bella ex bello nequant, ne causas justas fingant,  
alias intendant, *Lib. V. Manual. Polit. punct. iii.* Cyriacus Len-  
tulus in Augusto suo de Germaniam Germanorum manibus  
maximè vastatam agens in hæc prorumpit verba: *Detegatur lar-  
va fictarum belli causarum, & vetus belli vultus redeat, concordet  
& alacres ad commune incendium restringendum cernes.* Cæterum  
negare non ausim, sapius accidere, ut bello quidem causa ju-  
sta subsit, sed vitium actioni appropere ex animo agentis, *Gro-  
tius II. de I. P. & B. c. xx. n. xvii.* Ita justa belli causa est, quæ pro  
religione certat, quam vitiat major REGIONIS, quam RELIGI-  
ONIS amor.

IV. Justa sanè belli causa velut caput bonæ spei est, quod  
Principem ducat ad triumphales illas terras, *Lips. V. Polit. c. iii.*  
Neque enim ab eventu innocentia probatur, sed causa justitiam  
belli arguit, quam non semper victoria comitatur, arcano &  
nobis ignoto fine. Imò bene cogitata & consulta malè sæ-  
pè cadunt, & malè consulta bene, *Joh. Loccen. Lib. I. de ordinãd.  
Rep. cap. xvii.*

V. Quod si Victoria cælitus concessa fuerit, cautè eam, le-  
niter & modestè haberi par est. Victoria enim, quæ insolenti-  
am victori parit, clade pestilentior, *Herman. Kirchner. Disp. I.  
de Rep. th. iv.* E diverso tanto illustrior victoria est, quanto eam  
Princeps moderatius utitur, *Ludovic. ab Avila de Bello Ger-  
man.*



*man.* Imò in eo ferè conspirant omnium Politicorum moni-  
 ta, quod captivi clementer sint habendi, *Henning. Arnif. de*  
*Rep. Lib. I. c. III. sect. v. n. XXI. Lipsius v. Politic. c. XIX. & passim,*  
 nisi publica salus aliud svadeat, *Joh. Althus. in Polit. cap. XXXVI.*  
*n. LIII.* Ita fiet, ut secundæ res victores in miserationem ex ira  
 vertant. Et quid opus est sævitiâ in captivos? Libanius vitu-  
 peratione Achillis: Τὸ ἐκ οἴδεν, ὡς ὁ πολέμου ἀλοῦς ἐκ ἐστὶ  
 δυσμενὴς; ἀλλ' ὑπ' αὐτῆς ἔκκερατῆσαι μεταβάλλει τὴν προσωοεί-  
 αν, ἐκείνης αὐτ' ἐχθρῶ καλέμεν. Hinc meritò Thraces apud  
*Florum lib. III. Rer. Romanar. c. IV.* malè audiunt: *Nihil per id o-*  
*mne tempus residuum crudelitatis fuit in captivos sevientibus, li-*  
*tare Diis sanguinem humanum, bibere in osibus capitum, & hujus-*  
*cemodi ludibria, fœdare mortem tam igni, quàm fumo, partus quo-*  
*que gravidarum extorquere tormentis.* Hodie adhuc in multis  
 Indiæ regionibus post occisos hostes ossa capitum formantur  
 in scyphos, *Zevecot. in Obs. ad Flor. d. loc.* De Carmanis, qui u-  
 xores ducturi caput occisi hostis ad Regem deferre teneban-  
 tur, adi & audi *Petr. Crinit. lib. VI. honest. discipl. c. XIII. & Alex.*  
*ab Alex. I. genial. dier. cap. XXIV.* Hoc addam, quod supremum  
 immanitatis cumulum Patrum memoria compleverit Johan-  
 nes Basilides Magnus Dux Moscoviæ, non bello, nec in ho-  
 stes, sed alta domi forisq; pace in fidissimos cives, aut miseros  
 captivos, *Cyriac. Lental. in Augusto.* Sed pergo ad alia.

VI. Captivus à capio dictus eum notat, qui bello justo ca-  
 ptus est, *L. IV. junct. L. V. §. III. L. XXIV. D. de captiv.* Hoc sensu ac-  
 cipitur apud *A. Gellium Lib. VII. c. XIX.* *Virgilius Lib. IX. Æ-*  
*neidos:*

*Præterea bis sex genitor lectissima matrum*  
*Corpora, captivosq; dabit, suaq; omnibus arma.*

VII. Dura quondam conditio captivorum erat, quos oc-  
 cidere licebat absq; ullo ænæ metu, *Zevecot. in Obs. Polit. ad*  
*Florum Lib. I. cap. XIX. ibi captivosq; indulgenter habuit.* Inter-  
 dum enim licere dicitur id quod rectum ex omni parte, piumpq;  
 est, etiamsi fortè aliud quid fieri possit laudabilius. Aliàs verò  
 licere aliquid dicitur, non quod salvâ pietate & officiorum regulis  
 fieri potest, sed quod apud homines pœnæ non subjacet, *Grotius III.*

de



*de I. P. & B. c. IV. num. II.* Ipsæ leges humanæ, quæ interfectionem quorundam hominum permittunt, tantum inter homines impunitatem præstant, quoties dolori indulgetur, vitium autem non tollitur. Quod si lex periculum respiciat futuri mali ex dilatione pœnæ, tunc demum censenda est jus ac potestatem publicam privato concedere, ita ut jam privatus non sit, *Grotius II. de J. P. & B. c. xx. n. XVII.* Hujus generis sunt Leges Codicis nostri sub rubrica, *quando liceat unicuique sine iudice se vindicare, vel publicam devotionem.* In priori sensu accipiendum est, quod apud Salustium legimus: *Cui omnia in victoria lege belli licuerunt.* Causam, cur id Gentibus placuerit, Grotius expressit *Lib. III. de J. P. & B. c. IV. n. IV.*

**II X.** Ipsi Hebræi victos fere omnes occidebant. Duplicis autem generis bella Talmudici constituunt, quæ gesta à sacro populo fuerunt. Nam alia jussu Numinis, Legisque susceperunt, alia pro Imperio atque ad ampliandam Remp. gessere, *Petr. Cunaus II. de Rep. Hebræor. c. XIX.* Cautiones, quas in utroque bello servari Deus voluit, in Deuteronomii *cap. xx.* scriptæ sunt. Non enim eodem modo in quasvis gentes victoriam exerceri voluit Jehova. In nonnullis excindi viros, foeminasque, atque infantes etiam, alibi sufficere expiationi solam virorum cladem censuit. Disparitatis causam inde desumit Cunaus *d. loc. c. XX.* quod populi aliquot vulgo & passim in sese flagitia quædam admiserant, à quibus recta ratio, naturaque hominum communis refugere solet atque abhorere.

**IX.** Sed Dei ista sunt opera, quæ homines imitari non convenit. Hinc cæteræ gentes exemplo illo tutæ esse non potuerunt, ut merito à summo bellorum rigore postea divortium fecerint. Capti enim in bellis cœperunt servari, ut servi capientium fierent, vel etiam aliis venderentur, *S. III. Inst. de fur. person. Bodin. I. de Rep. c. V. Excellentiss. Dn. Prasfes Disp. II. Trentlerian. th. III. adject. I.* Apparet inde, non sui, sed victoris gratiâ servatos fuisse captivos, *Henning. Arnif. de Rep. Lib. II. c. III. sect. V. n. XXI.* Testatur id Horatius in Epistolis:

*Vendere cum possis captivum, occidere noli.*

Ser-



*Serviet utiliter, seu pascat durus, arctq;  
Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis,  
Annonæ proſit, portet frumenta, penusq;.*

Atq;ve hoc eſt juris gentium, cujus tenore non illi tantum, qui ſe dedebant, aut ſervitutem promittebant, pro Servis habiti fuere, ſed omnes omnino bello ſolenni publico capti, ex quo ſcilicet intra præſidia eſſe cæperant, *L. V. §. I. D. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Aliter de bello injuſto Bodinus: *Qui bello injuſto captivos ſervare humanitatis eſſe putant, conſimiliter faciunt ut latrones ac pirata, qui ſe vitæ iis dediffe jactant, quibus nõ adeo meruit, I. de Rep. c. V. n. XXXIV.* Hinc Ulpianus: *Qui à latronibus captus eſt, ſervus latronum non eſt, nec poſtliminium illi neceſſarium, L. XXXIV. pr. D. d. tit.*

X. Neq; verò ipſi ſoli, qui capti erant, capientium ſervi fiebant, ſed & poſteri in perpetuum, nempe qui ex matre ſerva poſt ſervitutem naſcebantur, *Grot. III. de J. P. & B. c. VII. n. II.* Hoc ſenſu Martianus *n. L. V. §. I. D. de Statu homin.* perhibet, jure gentium ſervos fieri, qui ex ancillis naſcuntur. Si enim ſummo jure victores uti voluiſſent, illi ipſi nunquam nati fuiſſent. Nati igitur ante calamitatem, niſi ipſi capti eſſent, ſervi non erant.

XI. Effectus quod attinet hujusmodi ſervitutis, ſatis illi hinc inde in jure noſtro obvii ſunt, ut iis recensendis merito ſuperſedeam. Non tamen omittam, quod lex civilis ſævitæ modum pœnamq; poſuerit, *§. II. Inſt. de his qui ſui vel alien. juris.* Quod enim Imp. Constantino placuit, quemq; rei ſuæ moderatorem atq; arbitrum eſſe, *L. XXI. C. Mandat.* illud non valet, ſi quis re ſuâ abuti conetur, cum Reip. interſit, ne fiat, *d. §. II. Inſtit.* Et hodie videmus Nobiles modum in exigendis ſervitiis excedentes, ac in ruſticos ſævientes variis compoſci remediis, quin & injuriarum, atq; ad intereſſe licitè conveniri, *D. Bened. Carpzov. Lib. I. reſp. Jur. reſp. LIII. Confer. Job. Schneiderv. Comm. ad Inſt. de his qui ſui vel alieni juris §. ſin. n. VI.*

XII. Ex dictis intellectu facile eſt jus vetus in captivos. Super eſt poſtliminium, quod eleganter explicuit Grotius *III. de J. P. & B. c. IX. D. Hahn. Obſ. ad D. de captiv. num. III.* Anton. Perezius *prælection. in Cod. de poſtlim. reverſis.* AzO *in ſumm. Cod. eod.*

B

rit.



tit. Hi enim, qui ab hostibus capti erant (transfugæ quippe nullum postliminium *L. XIX. §. IV. D. de captiv.* ut verbum illud TRANSFUGERIT in *L. XV. D. de tutel. imprudenti* Jcto excidisse autemet Joh. Jacob. Wissenbach. *Disp. de tutel. §. xxxvii.*) post reditum in limen omnia pristina jura recipiebāt, ac si nunquam hostium potiti fuissent, *§. V. Inst. quib. modis jus potest. solvit.* Neq; intererat, quo medio potestatem hostium evasisent, modò præsentem corpore, mente alieni non essent, *L. XXVI. D. de captiv.* Dolus enim, an virtus, quis in hoste requirat, *L. I. §. III. D. de dol. mal. Gothofr. ad d. L. XXVI. lit. X. Perez. in Cod. de postlim. revers. n. IIX.* Idq; adeò extendit Bodinus, ut perjurio (quod in Deum commissum pœnæ Juris Civilis obnoxium non est, *L. II. C. de reb. credit. Treutl. Vol. I. Disp. XXI. th. IIX. lit. B. Conf. Bachov. not. ad Treutl. d. loc. Fachin. I. controv. Jur. c. XIV. Theodoric. Disp. V. Coll. Crimin. th. IIX. lit. F.* Dissentit cum Wesembecio D. Hahn. *Obs. ad D. de jurejur. num. XII. D. Ungep. Exerc. Justin. XV. q. III. D. Ludovell. Disp. XVI. ad Instit. th. IV. lit. D. in fin.*) minimè obligatos fuisse statuat, qui contra datam fidem aufugerant, *V. de Rep. c. VI. n. ccccxvi.* Hugo Grotius verius judicat, fas non esse ei fugere, qui bello justo captus est, nisi intolerabilis sævitia hanc ipsi imponat necessitatem, *III. de J. P. & B. c. XIV. n. VII. M. Anton. Blancus tr. de indicis homicidii num. cclxxix.* peccare existimat in bello justo captum, si fugâ sibi consulat. Quid de aliis sentiendum sit, qui bello injusto capti fugâ se subducunt, alibi Grotius tradidit *Lib. III. c. VII. n. VI.*

XIII. Hoc sciendum est, *jus istud gentium de captivis nec semper receptum fuisse, nec apud Gentes omnes, quanquam Romani Jcti universaliter loquuntur, partem notiores indigitantes totius nomine,* Verba sunt Grotii *d. loc. n. IIX.*

XIV. Mantissæ loco sit, quod habet Gellius *Lib. VII. noct. Attic. c. IV.* Antiquitus mancipia jure belli capta coronis indultis venibant, & siccirco dicebantur sub coronis vendi. Et paulo post: *Est & alia hujus rationis opinio, cur dici solitū sit, captivos sub corona venundari, quod milites custodie causâ captivorum venalium greges circumstarent, eaq; circumstatio militum corona appellata*



CAPUT II.

De jure novo in captivos.

I. Jure veteri hodie utimur ad-  
versus Turcas, aliosq; in-  
fideles.

II. In bellis Christianorum ca-  
pti non sunt servi.

III. Quod etiam Mahumetista  
inter se servant.

IV. Mansit tamen inter Chri-  
stianos mos captos custodi-  
endi, donec redimantur.

V. Redemptio captivorum quid  
sit?

VI. Jus vetus de captivis an re-  
tè sublatum sit?

I. Viso jure antiquo in captivos, quid Christiani inter se  
justum esse duxerint prolixius dispiciendum erit. Aliquanto  
enim satius est favorabili, quàm invisæ rei vacare, *Valer. Ma-  
xim. Lib. V. c. iv.* Illud præmonendum, quod hodie contra  
immanissimos Turcas, & hujus farinae cæteros veteri rigore  
etiamnum utamur, *Duaren. Comm. ad D. qui testam. facere poss:  
Mynsing. Schol. ad Instit. de Jure personar. §. III. quib. mod. jus po-  
testat. solvit. §. V. Schneidevv. ad Instit. eod. tit. Bachov. ad Trentl.  
Vol. I. D. xxiv. th. xi. lit. F.* & quidè ex æquitate juris talionis, quod  
est justitiæ commutativæ. Est enim talio, cum quis taliter pa-  
ritur, ut alteri fecit, *D. Hahn. Obs. ad D. de Just. & Jur. n. XIII.*  
Hinc quoq; fluxit decantatum illud jus retorsionis, quod ceu  
species defensionis summâ nititur æquitate, iniquitatis corri-  
gendæ, seu inæqualitatis ad paritatem reducendæ gratiâ in-  
ventum, *D. Hahn. Obs. ad D. quod quisq; juris in alium statue-  
rit. n. III.* Confer *Valentin. Riemer. Decad. XII. question. Juri-  
dic. Illustr. qu. IIX.* Neq; simpliciter dicendum est, jus talionis  
in omnibus esse sublatum, *Matth. Stephan. Comm. in Nov. cXLII.  
in fin. & alibi passim.*

II. Christianis autem displicuit, captos in bellis suis ser-  
vos fieri, *Christoph. Besold. class. II. Colleg. Polit. Disp. VII. §. xxxvi.*  
Hinc est, quod vendi nequeant captivi, ad operas urgèri, &  
alia pati servilis conditionis. Omnes enim Christiani sunt  
quodammodo unius Civitatis, i. e. ejusdem Ecclesiæ cives.



*Jul. Pacius ad §. IV. Inst. de Jure person. Ita Duarenus: Cum bella geruntur inter Christianos, nulla captivitas est, quae servitutem inducat, hoc vulgo receptum est. & solet hac ratione confirmari. Inter Christianos bella tantum civilia sunt. Ecclesia Christianorum communis quaedam civitas esse intelligitur, cum sint ejusdem civitatis cives, bella quae geruntur sunt civilia. At in bellis civilibus captivitas nulla est, quae servitutem inducat, idq; expressum est l. 21. §. 1. D. de captiv. Comm. ad D. qui testam. facere poss. Tum etiam ab omni charitatis commendatore rectius instituti erant, aut esse debebant, quā ut à miseris hominibus interficiendis abduci nollent, nisi minoris favitiae concessione; Grot. III. de J. P. & B. c. VII. n. IX. Res autem in bello captas quod attinet, in illis jura vetera adhuc vigent, ut fiant captivorum, Schneidevvin. Comm. ad Instit. de jur. person. Distingvendum tamen erit cum Grotio III. de J. P. & B. c. VI. inter actus verè publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occasione belli publici, tum etiam inter res mobiles & immobiles.*

III. Eandem lenitatem erga captivos Mahumetistae inter se servant, ut videre est apud Augerium Busbeqvium epistolā exoticarum tertiā: **Wiewol sie die Türcken von ihren Religions-Verwandten allen Kriegsbrauch/ Recht/ Gerechtigkeits/ und persecution wenden / und sie aller beschwerden/ Ranzion und Dienstbarkeit entbinden.**

IV. Mansit tamen inter Christianos mos captos custodiendi, donec persolutum sit pretium, quo redimantur, *Mynsing. Schol. ad Instit. quibus mod. jus potest. solv. §. V. Petr. Gudelin. Comm. de jur. noviss. lib. I. c. IV. Perez. pralect. in Cod. de postlim. revers. n. XVII. Joh. Althus. in Polit. cap. xxxvi. num. xliii.*

V. Igitur redemptionem captivorum dixerim facultatem bello justo captos pristinae conditioni restituendi soluto pretio. Redimere quippe hic nihil aliud est, quā liberare, ut ut alibi aliter explicetur. Ista redemptio vel fit ab ipso captivo, vel ab aliis, iisq; vel liberè, vel coactè.

VI. Sed antequam hoc caput finiam, malè jus vetus circa captivos immutatum esse videbitur, cum novum jus in bellum ruere faciat nil mali spe redemptionis metuentes. Obertus

Gi-



Giphanius: Non parvum in servitute adjuvmentum esse videtur ad bella & seditiones reprimendas. Nam non tam facile ad bellum ruerent, si captis vel esset serviendum, vel moriendum, ut veteri more, cum hodie omnes sine discrimine pecuniâ dimittantur. *Comm. in Lib. I. Polit. Aristot. cap. IV.* Distingvam inter id, quod per se, & quod per accidens fieri solet. Imò etiam olim durante adhuc jure veteri in captivos, quoniam bella sæpè injusta gesta sint, dubium non est. Incommoda alia bellorum à pace ad discordias proclives animos fatis remorari valent, etsi jus illud summum humanitatis expers sublatum sit. *Wilhelmus Ferdinandus ab Efferen: Deus Opt. Max. infinitâ suâ providentiâ ita de bellis statuit, ut sine sanguine, ingenti labore, periculis, & sine immensis sumptibus geri non possint, quo facilius homines ab illis deterreret, & in consiliis pacis contineret, Lib. V. Polit. de ration. Status pundt. IV.* Sumptuum injectâ mentione bellis impendendorum quæri non abs-re poterit, an pecunia nervus belli dici mereatur? Negat Machiavellus *II. de Rep. c. X.* Affirmant alii, quorum meminit Christophorus Beloldus *Class. 2. Colleg. Polit. D. sp. VII. th. XIII.* calculum suam subjiciens: *Pecunia nervus belli dici potest, sed non ita, ut in pecunia potentiam consistere autume-*  
*mus.*

### CAPUT III.

#### De Redemptione ab ipso captivo facta.

- |   |   |
|---|---|
| I. Ab hostibus captus seipsum redimere potest.              | victoris est, sed temperanda.                             |
| II. An Principes redemptionis pretium refundere teneantur?  | V. Captivus fidem redditus victori datam servare tenetur. |
| III. Conventio semel cum captivo facta rescindi non potest. | VI. Fidejussor intervenire potest pro captivo.            |
| IV. Estimatio λύτρος in arbitrio                            | VII. An etiam Clericus?                                   |
|   | VIII. An heres λύτρον debeat à captivo promissum?         |

I. Jus captos servandi concedi solet singulis, qui ceperunt, exceptis personis eximie dignitatis. In has enim Reip. aut ejus capiti jus dant plerarumq; gentium mores, *Grotius III. de*



J. P. & B. c. VII. n. IX. adde eundem Lib. III. cap. XXII. n. IX. Zevcot. Obs. Polit. ad Sveton. Cesar. cap. XXIX. Cæterum etiam si sui juris non sint ab hostibus capti, servilem tamen conditionem minime gerunt, ita scilicet, ut opera servilia cogantur facere, verba sunt And. ad Exea tract. de pact. n. CCLXIII. Hinc est, quod λύτρωσολuto sese liberare, pristinaeque conditioni illico reddere possint. Illico dico. Ita enim Perezius: *Observandum est, redemptum illico quidem restitui, si suam pecuniam ille se redemerit, at si alienam redimatur, tunc demum statum suum recipit, cum pretium conventum solverit, vel alio quocumque modo liberatus sit, Praelection. in Cod. de postlim. revers. & redempt. ab hostib. n. XIII. XIV.*

II. Verum an Principes bellum gerentes militibus suis ita captis pretium redemptionis refundere teneantur non ita perspicuum videtur? Meo iudicio negandum erit, cum neque Principes necessitate quadam absolutam astringantur eos redimendi, multo minus id quod jam datum est pro redemptione refundendi onus incumbet. Apparet hinc injustitia petitionis Kaufungianae, cujus Petr. Heigius affatim meminit *part. II. quest. Jur. Civ. & Sax. qu. XXXII. n. IV. V. & seqq.* Conferendum est Caput IV. §. III. IX. X.

III. Illud dubio carere videtur, quod apud Grotium legi: *Conventio de pretio facta rescindi non potest, eo quod captus intelligatur locupletior, quam credebatur, quia jure gentium externo, de quo quaerimus, nemo cogitur supplere, quod in contractu minus aequo pretio promisit, si dolus non intercessit, III. de J. P. & B. c. XXI. n. XXVI.*

IV. Neque enim victor hic alicujus insolentiae aut avaritiae argui velit. Aestimatio quidem λύτρωσ in illius arbitrio est, nisi certi quid convenerit, ut olim apud Graecos mina erat, (quae quid sit Joh. Mariana tract. de ponderib. & mensur. te docebit) & hodie inter Hispanos & Batavos unius est mensis stipendium, *D. Conring. Disput. de LL. th. XXIV.* attamen humanitas inculcat, non ultra postulari debere, quam deducto, ne egeat captus alimentis, sive divitiis naturalibus, quibus Aristoteles I. Pol. IIX. IX. artificiales opposuit, quod secundario vitam juvent. *Necare enim videtur, qui alimenta denegat L. IV. D.*

de



de agnosc. & alend. liber. Excelsissimi animi est illud Pyrrhi à  
Grotio III. de J. P. & B. c. XIV. n. IX. relatum :

*Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.*

*Ferro non auro vitam cernamus utriq<sup>3</sup>.*

*Quorum virtuti belli fortuna pepercit,*

*Eorundem libertati me parcere certum est.*

Aliàs mira vis est auro, quod innuit Henric. Cornel. Agrippa:  
Auro placatur Zelotypus maritus, auro mollitur inexorabilis ri-  
valis, auro accuratissimi vincuntur custodes, auro quæq<sup>3</sup> janua  
panditur, auro omnis thalamus conscenditur, auro veetes & saxa,  
& insolubilia matrimonii vincula franguntur. Quid mirum, quod  
auro Virgines, puellæ, matronæ, viduæ, vestales (addam capti-  
vos) veneunt, si auro Christus ipse venditu r? de incertitud. & va-  
nitat scientiar. c. LXIV. Bodinus I. de Rep. V: Cum Vespasianus Hie-  
rosolyman obsideret, miles Romanus aurum in Judei cæsi visceri-  
bus effusis collegerat; Eodem momento cæsa sunt captivorum vigin-  
ti millia, ut aurum, quod sorbere putabantur, à militibus inve-  
stigaretur. Hæc auri sacra fames à victore exulare debet, cui  
humanitas cordi fuerit, quam in sua persona egregiè commē-  
dat Alex. M. ap. Curtium Lib. IV. Et ego pecuniam, quàm glori-  
am mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate  
securus sum, & me non mercatorem memini esse, sed Regem. Ni-  
hil quidem habeo venale, sed fortunam meam utiq<sup>3</sup> non vendo. Ca-  
ptivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remitte-  
mus.

V. Ubi verò redemptionis pretium victor dictaverit, capti-  
vo incumbet fidem victori datam minimè violare, ne mariti-  
mos mores habere censeatur, Grot. III. de J. P. & B. c. XXIII.  
n. I. II. qui hanc fidei constantiam ad latrones & piratas etiam  
extendit. Junge D. Hahn. Obs. ad D. de jurejur. n. XIV. Sequi-  
tur inde promissionem captivi, ob parandum λύτρον fortean  
dimissi, de redeundo meritò tolerari. Neq<sup>3</sup> enim deterio-  
rem reddit captivi conditionem. Solent & alia victi victoribus  
promittere, sanctè servanda, puta quod in certum locum se  
recipere, & adversus victorem militare nolint.

VI. Planè cum omni obligationi, exceptis quibusdam ca-  
sibus,



sibus, fidejussor accedere possit, *L. I. L. IIX. §. I. D. de fidejussor. & mandator.* (excepto milite *L. xxxi. C. de locat. & conduct. foemina, tot. tit. D. & C. ad SC. Vellej.* quam variae causae impediunt, quas conguessit D. Georg. Frantz *k. Comm. ad D. d. tit. nisi jurato intercesserit, Henr. Zes Comm. in Decretal. de fidejussor. n. II. ac seruo, L. XX. D. d. tit. Anton. Perez. pralect. in Cod. tit. de fidejussor. n. VII.)* pro captivo quoque fidejubendo cavere poterit, qui tamen non nisi captivo prius excusso hodie convenitur, *Nov. IV. cap. I. Sed & casibus quibusdam excussionis beneficium cessat, Gail. II. Observ. X XVII. D. Ungepaner. Exerc. Justin. XI. q. IIX.*

VII. Hoc dubium est, an Clericus fidem suam pro captivo obligare possit? Videtur negandum esse *per c. I. X. de fidejussor. can. XXIX. c. XI. q. I.* Idem asserunt Constitutiones Apostolorum *can. XI X.* quem Zonaras, Graecus Interpres, ita accipit, ut Clerico quidem non liceat pro publicanis, vel vectigalium redemptoribus fidejubere, pro aliis vero non prohibeatur, maxime si pietatis & necessitatis causa urgeat. Hanc interpretationem jure Novellarum comprobari autumat Ant. Perezius *d. loc.* quo cautum est, ne Clerici publicarum functionum excoctores constituantur, aut vectigalia vel privatas possessiones conducant, & in his fidem suam pro aliis obstringant. Igitur in aliis negotiis recte fidejussores erunt.

IIX. Ultimò hinc quæri potest: an pretium conventum, & ante mortem à captivo non solutum ab hærede debeatur? Expedita Grotio *III. de J. P. & B. c. XXI. n. XXIX.* videtur responsio, si in carcere mortuus sit, non deberi, contra si diem obierit, cum in libertate esset, deberi. Tunc enim lucratus erat id, cujus intuitu promissum pretium. Planè & aliter conveniri posse non diffiteor.

#### CAPVT IV.

#### De redemptione ab aliis facta.

- |  |   |
|--|---|
| <p>I. Redemptio quæ ab aliis fit, duplex est.</p> <p>II. Redempti pignori redemptori pro <i>ἀὐτῶ</i> obligantur.</p> | <p>III. Alias liber homo oppignori nequit.</p> <p>IV. Redemptor omnibus creditoribus praefertur, si redemptus</p> |
|--|---|



ptus ab eo bonis cedat.

V. Redemptor oblatum pretium accipere debet.

VI. Redemptor jus suum in redemptum alteri cedere potest.

VII. Variis modis jus repetendi  $\lambda\upsilon\tau\rho\varsigma$  extinguitur.

VIII. Principes an in classem eorum referri debeant, qui volentes redimunt?

IX. Refutatur Boterus.

X. Romanorum statutum non probatur indistinctè.

XI. Res sacra alienari possunt pro redemptione captivorum.

XII. Liberi tenentur redimere Parentes & contra.

XIII. Quod pro redemptione filii datum est non conferitur.

I. Redemptio quæ ab aliis fit, vel libera est, vel coacta. De liberâ præmittam, quæ qualis sit vox ipsa innuit. Summa liberalitas est (verba sunt Ambrosii II. de Offic. c. XV.) captivos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maxime fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives Patriæ restituere. Et paulo post: Præcipua est liberalitas, redimere captivos, & maxime ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverit ad redemptionem. Inter sententias Ethico-Politicæ hanc Janus Gruterus numerat: Captivos redimere ab hoste magnanimi verè est opus. Bodinus: In Africa historiis proditum est, Paulinum Nolæ Pontificem cum omnia, quæ in bonis haberet, sub hasta vendidisset, ut ex pecunia coacta captivos Christianos redimeret, ad extremum Vandalis, quod mirere, se ipsum vendidisse,

XIV. Collationi locus est inter solos descendentes.

XV. Quod de liberis & Parentibus dictum est, in extraneis quoque heredibus obtinet.

XVI. Dominus captivus à vassallo redimendus est.

XVII. Princeps à subditis.

XVIII. An Principe dimisso, neque solvente  $\lambda\upsilon\tau\rho\varsigma$ , subditi jure repressalium detineri possint?

XIX. Legati & Syndici à quibus redimeri?

XX. Pro redemptione captivorum relicta centum annis tolluntur.

XXI. An redire debeat, qui dimissus est, ut alterum liberaret, eo mortuo?

XXII. De permutandis captivis.

C

I. de



*I. de Rep. V.* Nec hanc venditionem vitii alicujus infimulare  
audet Cunrad. Rittershus *Comm. ad Instit. de jure personar. §. IV.*

II. Varia circa redemptionem, quæ liberè suscipitur, nota-  
tatu digna occurrunt. Planè ab aliis nullo jure cogente re-  
dempti, quoad exsolvatur pretium, magis in causam pigno-  
ris constituti, quàm in servilem conditionem detrusi videntur  
*L. II. C. de postlim. revers. & redempt. ab hostib.* Neq; enim benefi-  
cium in calamitatem converti debet, cum redemptio facul-  
tatem redeundi præbeat, *L. xx. §. II. D. de captiv. Perez. in Cod.  
de postlim. revers. num. XV.* Spectant huc illa Bodini: *Qui pre-  
tium libertatis alterius solvit, tantisper captivum, non tamen ut  
Servum, retinere suo jure potest, quoad pretium solutum receperit,  
licet suum tantisper quodammodo dicere possit, lege antiquissimâ  
Græcorum, quæ ab his ad Romanos, inde ad omnes populos perma-  
navit, Lib. I. de Rep. c. V.* Hæc retentio favore libertatis intro-  
ducta est, ne ademptâ spe recuperandæ pecuniæ multi in hosti-  
um manu relinquerentur, *L. fin. C. d. tit.* Hoc monet Perezius  
*d. loc.* quod redemptus à nemine detineri possit, præterquam  
ab eo, cui redemptionis pretium debet, quem ideò in testa-  
mento testem adhibere nequit redemptor, *L. XX. §. I. D. qui  
testam. facere poss.* Imò in genere, qui impensas fecit in rem a-  
lienam bonâ fide, eam retinere potest, donec satis ipsi fiat, *Joh.  
Althus. Lib. II. Dicoeolog. c. XVII. n. XI.* Si quid tamen in usum ve-  
stium, vel alimonix captivo impensum fuerit, ex humanitate  
præstitum videtur, nec victualis sumptus repetitio datur ei,  
qui impendit in tam piam causam, *L. fin. C. de postlim. revers.*

III. Objicies, naturâ suâ oppignorari non posse liberum  
hominem, *L. VI. C. quæ res pign. oblig. poss. L. XII. anth. imo. C. de  
oblig.* Exceptio est in eo, qui ab hostibus redemptus loco pi-  
gnoris est redemptori, donec pretium restituat, *L. xv. L. XXI.  
D. de captiv. L. II. C. de postlim. revers. L. XLIII. §. fin. D. de leg. I. We-  
sembec. Paratitl. ad D. quæ res pign. vel hypothec. data oblig. non  
poss.* In liberis quid juris sit ex *L. II. X. C. d. tit.* clarum fiet.

IV. Porro de libero homine ab alio redempto notari me-  
retur, quod ubi fortè bonis cedit, quo ipso neq; infamiam ju-  
ris, neq; infamiam facti, nisi gurges fuerit, natus ab omni  
suo, contrahit, (utraq; enim datur, frustra dissentiente Petr.  
Bel-



Bellojo *Lib. I. varior. Jur. Civ. cap. VI.* aliisque, quorum meminit D. Georg. Franzk. *Comm. ad D. de his qui notantur infam. num. IV.*) omnibus ejus creditoribus præferatur, qui eum redemit, quia in persona jure pignoris gaudet, eo quod in rebus est fortiori, Dn. Hahn. *Obs. ad D. quæ res pignor. vel hypothec. data oblig. non poss. Conf. L. XII. §. XII. D. de captiv.* Joh. Althus. *Lib. I. Diceol. c. LXXIII. n. XXIII.*

V. Quid si redemptor oblatum à redempto, vel ab alio pretium accipere noluerit? Præses Provinciæ efficaci instantiâ eum compellere jubetur, ut legibus obtemperet, & percepto eo, quod pretii nomine dependitur, status securitatem non inquietet, *L. VI. C. de postlim. revers.*

VI. Sed an redemptori (vel etiam ipsi victori) liberum erit, jus in redemptum (vel captivum) alteri cedere? Respondet Grotius: *Non sunt quidem moribus nostris servi, qui bello capiuntur, non dubitem tamen, quin jus exigendi pretium redemptionis à capto possit ab eo, qui captum tenet, in alium transcribi.* Nam & incorporalia alienari natura patitur, *III. de J. P. & B. s. XXI. xxv.* Idem quoque pluribus pretium debere potest, *Grot. d. loc. n. XXVI.* Sanè si is, qui emit ab hostibus, alii jus pignoris, quod in redempto habet, cesserit, non eam quantitatem, sed priorem redemptus reddere tenetur, & emptor habet actionem adversus eum, qui vendidit, ex empto, *L. XIX. §. IX. D. de captiv.*

VII. Nunc quibus modis jus repetendæ pecuniæ extinguatur dicendum erit. Grotius hic consultus opus quinquenni præmittet, quo præstito incolumem redemptus nanciscitur libertatem, si in ea natus est, *L. fin. C. de postlim. revers.* Hinc jus Saxonicum de addicendo Creditoribus in servitutem operarum debitore manasse putat *Wesembec. paratitl. ad D. de captiv. num. IX.* Morte quoque redempti jus repetendi *λύτρε* expirat, teste Grotio *III. de J. P. & B. c. IX. n. X.* Mors quippe omnia similiter solvit, *Nov. XXII. c. XX. in princ.* Sed an filius redempto Patre, & ante luitionem defuncto, redemptionis quantitatem offerre tenebitur? Resp. *Ulpian. in L. XV. D. de Captiv.* Porro si nummi redemptionis nomine expensæ donatio intercesserit, pristinae conditioni redemptos reddi manifestum est, *L. 11. L. XI. C. d. tit.* Huc spectat, quod redemptus ab hostibus sibi legari



queat. Proficit enim legatum ad liberationem vinculi pignoris, quod in eo habuit, qui redemit, *L. XLIII. §. fin. D. de legat. 1.* Eodem modo vasallo jus vasallagii legari posse Gothofred. inculcat *ad d. L. lit. T.* Sed dices, redemptum ab hoste sibi legari non posse, quia separata res legata à legatario esse debet. Ulpianus ait, valere, quasi legata sit liberatio pignoris. Et hoc sensu distinguitur res legata à persona legatarii. Legatur enim homini redempto, & legatur liberatio vinculi, quo tenetur, & hoc ex mente testatoris, quamvis subtilitas verborum refragari videatur, quæ sæpius odiosa, *Joh. Oldend. in Topic. Legal. in princ.* At ne hoc alicui nimis novum & insolens videatur, servus dicitur alibi sui furtum facere *L. I. C. de serv. fugitiv.* quamvis subtiliter disputando videatur distingui debere persona à re, quæ furto subtrahitur, *Fr. Duaren. Comm. ad D. tit. de legat. & fideicomm.* Porro etiam contracto inter redimentem & redemptam matrimonio vinculum pignoris remissum censetur, ut nihil de statu foeminae communiūq; liberorum pertimescendum sit, *L. II. L. XIII. C. de postlim. revers. l. x x 1. D. de captiv.* Deniq; redemptæ mulieris prostitutione jus hoc amittitur propter odium detestabilis quæstus, *L. VII. C. d. tit.* Lenocinium perpetrari dicunt Leges nostræ, quoties aliquis illicitos coitus committendos procurat, vel commissorum impunitatem adjuvat, idq; pro qualitate criminis capite, mitiusve punitur, *Petr. Theodoric. Disp. VI. Colleg. Crimin. th. VI. Petr. Gudelin. de Jure noviss. Lib. v. c. XIX.* Planè qui extraneas foeminas vel prece, vel pretio ad actum meretricium invitas quasi producant, novissima sustinere supplicia jubentur *in Nov. XIV.* Græcus textus ita sonat: *Τὰς ἐχάτας ὑπομένειν ποινὰς,* Pœnam hanc perperam de ultimo supplicio mortis naturalis Cujacius, Duarenus, Damhouderius, Mynsingerus, Gæddæus, Gilhausen accipiunt, notante Theodoric. *d. loc. lit. I. Confer Gothofr. ad dict. Nov. lit. M.* Illud subjiciam ex Augustino *Lib. 1. de civit. Dei cap. XIX.* quod mulier metu alienæ libidinis (etiam si inter medios hostes versetur) manus violentas minimè sibi inferre debeat. Vim tamen inferentem justè interficit, ad arcendam injuriam in castitatem, *Grot. II. de J. P. & B. c. I. n. VII.* Ali-



Alias neq; fides, neq; pietas, neq; ipsa virtus, quæ castitas dicitur, sed violatarum potius disputatio inter pudorem ac rationem quibusdam coarctatur angustiis, si supra violenta exaggerat verberones, *Augustin. Lib. I. c. XVI.* Hoc tamen rectè statuitur, vi stupratis virginalem habitum denegari, *D. Carpzov. Lib. V. Resp. Jur. Elector. tit. X. Resp. cxiii.* dissolviq; matrimonium, si gravidæ ex stupro ejusmodi redditæ illud dissimulârint, omni spe reconciliationis cessante, *D. Carpzov. d. loc.*

IX. De Principibus præliû comittentibus jã præmissi *cap. III. §. II.* quod illi in classè eorû referri possint, qui volentes redimunt. Nec obstat *Weichbild Lib. I. art. I. in fine.* *Ben König Alexanders Zeiten* / als da sie untereinander Kriegten / und die Römer vertrieben und siengen / da saken sie das Recht / wer in dem Kriege gefangen würde / den solte man mit einem anderen gefangenen lösen / oder mit Silber / oder mit Gold / und thât man das nicht / so solte man ihn zu dienst behalten. Heigius omisâ de historix veritate inquisitione arbitrii saltem, & voluntatis, non necessitatis id fuisse putat, *part. II. qu. XXXII. n. VII.* Romani quid hac in parte servaverint, Bodinus explicuit *V. de Rep. c. V.* de clade Cannensi, cui quæ superfuerant captivorum octo millia decreto Senatus redimi vetabantur, ut omnes intelligerent, aut vincendum, aut hosti miserè serviendum esse. Omnis in gladio spes posita erat. Pertinet huc, quod *Joh. Mariana de Rege & Regis institut. L. III. cap. V.* retulit: *Prima cura Principi sit, ut bellum seipsum alat. Quo consilio Cato cum primum Consul in Hispaniam est appulsus, classem dimisit in Galliam, redemptores prohibuit sequi castra. Nimirum id in primo secutus, ut spe reditus militi, nisi victori, sublatâ, majori animo pro communi salute & Imperii dignitate pugnaret: in altero cogitans, ex hostili prada militem, si strenuus esset, ali debere, si ignavus, ipsâ esse vitâ & nomine Romano indignum. Neq; spes fefellit. Eâ enim arte multò promptiori milite in bello usus est.*

IX. Jure ergo improbo Johannem Boterum, quem *Christophor. Coler. in Epist. de studio Politico ordinando* non tam fallere, quam aliquando falli autumat. Is enim *Lib. IX. de Polit. Illustr. cap. XII.* hisce verbis utitur: *Noxium juxta ac ignomi-*



niosum erat statutum illud, quo milites, quos mens inconstans & pavidam in hostis potestatem redegerat, redimi vetabantur. Theologo forte hæc opinio magis conveniet, quam Politico, qui Reip. incrementum anhelat, vix aliàs sperandum. Sanè Romanorum statuto, cujus modò memini, sic animo fractus est Annibal, & perterritus, ut ultra de Romanis victoriam ullam selaturum desperaret, *Polib. Lib. VI.*

X. Illis tamen casibus, quibus redemptiones captivorum absq; jactura publica expediri possunt, contrarium arripere malim, quam inhumanitatis alicujus insimulari. Huc inclinat Grotius III. de J. P. & B. c. XXI. n. XXIV. dum non audet indistinctè probare leges illas, quæ captivos redimi vetant, quales apud Romanos fuisse legimus. Itaq; idem: *Quod Aristoteles in Laconum institutis reprehendit, idem in Romanorum culpari solet, nimis scilicet illa omnia directa ad res bellicas, quasi in illis solis salus Civitatis consisteret. At qui si rem humanitatis modo estimamus, satius sæpè esset, jus, quod bello petitur, amitti, quam plurimos homines, & quidem cognatos aut populares relinqui in gravissimis ærumnis. Non videtur ergo lex talis justa, nisi appareat opus tali rigore, ut majora, aut plurimum mala alioqui moraliter inevitabilia caveantur. Nam in tali necessitate, cum ipsi captivi ex charitatis lege suam sortem patienter ferre debeant, potest hoc eis injungi, & aliis, ne quid contra faciant, præcipi, secundum ea, quæ de cive ob bonum publicum dedendo scripsimus alibi.* Adi & audi Grotium Lib. II. c. XXV. n. III. De Mauritio Imperatore Historici memorant, quod seriam penitentiam egerit ob non redempta XII. Romanorum millia. Cagano dimidium saltem numisma in singula capita petente. Joh. Clüver. in *Epitom. Historiar. tot. mundi* ipsum seu odio seu avaritiâ tot jacturam militum sprevisse putat, quos omnes postea Barbarus occidit, inhumanitate tantâ commotus.

XI. Apud Christianos captivorum redemptio multum favoris habet, quibus Lex Divina hoc misericordiæ genus instillat. Descendit hinc alienatio rerum sacrarum, quæ simpliciter & directò Deo dicatæ, quam Leges nostræ permittunt ad redimendos captivos, *L. XXI. C. de SS. Eccles. §. II. X. Instit. de rer. divis. Schneidevvin. Comm. ad Instit. d. loc. Joh. Uurmsfer. Exerc.*

V.



*V. Jur. Publ. th. xxiv.* Imò in genere Ecclesiastica bona alienationi subjecta sunt, quoties pietas, atq; publica utilitas id exigit, *Cacheran. Decis. Pedem. LXIIX. num. iix.* De hac alienatione elegans locus est apud Ambros. *II. de Offic. c. xxix. Ornatus sacramentorum redemptio captivorum est. Et verè sunt illa vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas dominici sanguinis agnosco cum in utroq; videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum, ut agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: HOS CHRISTUS REDEMIT!*

XII. Sequitur ut de redemptione coactâ tractem, quæ inter Parentes & Liberos, aliosq; nonnullos obtinet. Parentibus, si ab hostibus capti sint, neq; à liberis redimantur, siquidem calamitatem captivitatis evaserint, liberum est, causam hanc ingratitude testimonio ascribere. Si verò in captivitate decesserint, nihilominus ad successionem liberos jura non admittunt, *Nov. cxv. c. III. §. XIII.* Sunt & alia Parentum jura, penè multa, de quibus consuli velim Excellentiss. Dn. Præsidis Disputationem Inauguralem, quam de Jure singulari conscripsit *cap. II. membr. I.* Porro cum æquitas in paribus causis paria jura desideret *II. F. LIV. ex eadem causâ Parentes exheredes fieri possunt d. N. c. IV.* eoq; magis, quod amor Parentum liberorum amorem superare dicitur, *Schneidev. Comm. ad Instit. de exhered. liberor. in pr. n. xxii. Confer Matth. Steph. ad dict. Nov. ex quo annectam, quod præter causas exheredationis ab Imperatore expressas nullæ aliæ allegari posse videantur, etsi par, aut major ratio subsit. Idem Treutlerus sentit Vol. I. Disp. XIII. th. iix.* Contraria sententia And. Fachin. placet *Lib. VI. controu. Jur. c. LXXIIX.* Mediam viam D. Georg. Frantzk. *Comm. ad D. de inoffic. testam. n. LXXVII. LXXIIX.* eligere amavit: *Si (inquit) Justiniani intentionem rectè inspiciamus, præsertim quod liberos & Parentes attinet, exheredatio ob illas tantummodo causas fieri potest, ut aliæ similes & majores etiam prorsus excludantur. Planè nostrâ tempestate, ubi per rationem status alterati in multis à sanctione Juris Civilis recessum est, vel etiam seclusâ, dispositione*

*Ju.*



Justiniani si per se quod justū & æquum sit spectetur, verius est, causas vel similes vel majores admittēdas esse. Humani n. juris cōditio in infinitum excurrit, novasq; edere formas natura deproperat, L. 11. §. xlii. C. de Veter. jur. enucleand. Hęc sententia meo judicio tutior videtur, à qua ad alia progredior.

XIII. Id ipsum planè, quod pro redemptione filii à Patre solutum est, non confertur, Treuler. Vol. II. Diss. xvii. th. iix. Eiusmodi enim sumptus pietatis gratiā & animo donandi fecisse intelligitur, Matth. Coler. in Decis. German. Decis. L. XII. n. XXVI. XXVII. Pro firmanda hac sententia ita colligit Bachovius: *Quæcumq; non imputantur in quartam, ea non conferuntur. Atqui λύτες non imputatur in quartam.* Ergo. Non deficit hic Syllogismus in forma, ut ex tract. D. Joh. Cunrad. Dannhav. de Syllogismo infinito ejusq; apologia abunde constat.

XIV. Ea quoq; quæ liberi pro redimendis Parentibus dedere, collationi nō subjacent. Illi n. inter solos descendentes, non ascendentes, multoq; minus collerales locus est, Treul. d. loc. th. II. Vesemb. Parat. ad D. de collat. honor. n. IV. Neq; enim jus vetus ullibi correctum legitur, neq; ratio diversitatis inter ascendentes & descendentes me destituit. His quippe hæreditas Parentum jure Naturæ debetur, æqualitatem maximè postulante, illis verò miseratione potius & intuitu turbati ordinis mortalitatis, quàm jure, L. VII. in fin. D. si tabb. testam. null. extab. L. XV. pr. D. de inoffic. testam. D. Habn. Obs. ad D. de collat. honor. n. IV.

XV. Neq; tantum liberi & Parentes hæreditatem non cernunt invicem, si captivos ex suis liberare detrectaverint, sed & in aliis ita provisum, qui hæreditatem sperant, quem redemptum non venire, Nov. C. XV. c. III. §. XIII. auth. si captivi. C. de Episcop. & Cleric. Alios modos, quibus hæres incapax redditur successionis, Joh. Althus. congestit Lib. I. Diceol. c. LVI.

XVI. Vasallus præterea Dominum captivum redimere tenetur. Ita Dn. Præses in Disputatione suâ Inaugurali cap. IIX. §. IX. *Vasallus Dominum inclusum λύτες præstito redimere tenetur II. Feud. XXIV. vers. item si delator.* Imò in materia Feudali receptum est, quod ex quibus causis filius ob ingratitudinem à Patre

tre



tre exhæredari, & donator donationē suā inter vivos revocare potest, ex iisdem quoq; vasallus feudo privari mereatur, *II. F. XXIV. ibi: predictis modis.* Ingratitudo tamen vasalli non nisi quinq; testibus summæ atq; integræ opinionis probata censeatur, *II. F. LVII. Gail. II. Obs. CLVII.*

XVII. Ipsi quoq; Principes in bellis capti à *ἀύτρω* immunes non sunt. Ita Principum captivorum varias redemptionis summas Bodinus memorat *Lib. VI. de Rep. c. II.* Incidit hic quæstio Politica: An Principes interesse debeant præliis? Distinctione rem expedit Lipsius *Lib. V. Polit. c. XIV.* Accedit Jacob. Zevocot. *Obs. Polit. ad C. Sveton. Tranq. Jul. Cesar. capite sexagesimo secundo:* Divus ille Gustavus Adolphus, cuius auspiciis se à tyrannide liberari posse sperarat afflictæ Germania suo (heu!) nimis exemplo docuit, non semper suis bene consulere Principes, qui se præliorum dubiis exponunt. Exempti n. illis summæ se rerum & Imperii melius plerūq; reservant. In milite unius fors est, in Imperatore universorū periculum. Qui Cesaris nostri, aut Alexandri M. aliorumve nobis exempla commendant, fortunam magis laudant, quàm Virtutem. An ergo, dicet aliquis, semper à prælio abesse vis Principem? non volo. Cujus res ad incitæ redactæ ab unius prælii eventu dependent, pugnet alacriter, & vel victoriâ, vel morte gloriôsè præveniat pejorem fortunam. Aliud de aliis bellis sentio. Incidit hic gnoma illa: *Dux vivus in manum hostium raro incidit.* Suis quippe omnibus disjectis ruit in tela, ac captivitatem haud inultâ morte effugit. Unde illa Trogi *Lib. XXXII. c. II:* In eo bello nobilis Achaorum Philopamenis Imperator capitur, non quia pugnâdo vitæ pepercerat, sed dum suos in prælium revocat, in transitu fosse equo præcipitatus à multitudine hostium oppressus est. Item Florus *Lib. II. c. II.* Tum feda clades, Romanisq; usu incognita, vivus in manus hostium venit fortissimus Imperator. Thomas Bozius ut suos Catholicos evehat, comparationem bellorum cum Persis gestorum à Romanis & à Catholicis hisce verbis utitur: *Perse, Parthiq; olim Romanis illis antiquis formidabiles Imperatorem Valerianum ceperunt, in servitutemq; miserè abduxerunt, Julianum verò interfecerunt.* Quid porro in causa fuit, quod iidem Perse nullum ceperunt è nostris Imperatoribus, Catholicis scilicet, aut necarunt? tract. de robore bellico adversus Machiav. c. IIX. Sed

D

anne



anne Princeps imminenti vitæ periculo fugâ se subducere poterit? Affirmo cum Zevectio *Obs. Polit. ad Florum Lib. II. rer. Rom. cap. VI. Add. c. XIX. circ. fin.* Demosthenes, cur fugeret, rogatus, dixit: *Servo me patriæ.* Illos autem, qui militiæ maritimæ nomen dederunt, nullum inter mortem & victoriam medium proponere decet.

XIIX. Quid si spe fugæ præcisâ ipsi Principes in bello capti dimissi fuerint, postquam promiserant certam pecuniæ summam victori fidem habenti, illi verò liberati eam solvere detrectaverint, an pro debito hoc Principum res subditorum jure represaliarum detineri poterunt? Non ambigo. Movet me Grotius: *III. de J. P. & B. c. II. n. I. II.* Illud extra controversiâ esse videtur, quod Principes captivi subditos suos invito alienare nequeant, ut liberentur. Caspar *Ens part. II. nuclei historico-politici: Franciscus I. Gallia Rex in Hispania captivus inter alias conditiones ita cum Carolo V. Imp. transegerat, ut Ducatu Burgundie cederet, & libertati restitutus idem pactum à regni ordinibus ratum haberi curaret.* Sic ergo Franciscus Balonam ab Imp. ministris deducitur, & ibi, ne captivo extortum videretur, pacto subscribere jubetur. Respondit Rex, pactum hoc insciis regni ordinibus à se iniiri non posse. sed quam primum domum redisset, regni ordines convocaturum, eorumq; voluntates & sententias exquisiturum. Cum verò omnes maximè Burgundici Ducatus Ordines reclamarent. Imperator à Rege certior factus satis habuit, quod Rex promisit, se Ducatum illum primo ex Eleonora Imperatoris sorore, quam in matrimonium duxerat, nascituro filio appanagi nomine daturum. Adeò se ipsum, & sua conservare insigne potentia argumentum est. Interdum tamen causa publica alienationem suadet, quo casu ab ea alienus sum minimè. Vide Perez, *prælect. in Cod. de capitat. civ. censib. eximend. n. V. Grot. I. de J. P. & B. c. III. n. XII. Jung. Instrum. Pacis Osnabrug. in quo aliquot commutatorum Ducatum exempla occurrunt.*

XIX. Insuper de Legatis & Syndicis Perezius memorat *prælect. in Cod. de re militari n. XXIX.* quod ab ipso Principe, vel Civitate redimendi sint, si quando ab hostibus capti. Imò sumptus, quos fecerunt, reddendos esse judicat, quandoquidem ob publicas causas se periculis exposuerint, & urgente necessitate

tate



tate munus legationis coacti fuerint suscipere. Iniquum enim est, si alicui damnosum fuerit officium *L. VII. D. quemadm. test. aperiant. L. CXL. D. de R. J. Gail. I. Observ. XCIX. n. IIX. Schneid. ad §. X. Instit. de R. D. n. IV.* Imò hoc casu Legatorum & Syndicorum uxoribus etiam subveniendum esse censuerim *arg. L. I. C. de Uxor. milit. & eor. qui Reip. causâ absunt.* Possunt enim cum uxoribus proficisci, ita tamen ut factum illarum præstent, *L. IV. §. II. D. de Offic. Proconsul.* Quæstionem hanc, an Legatus in legatione obeunda licitè uxorem secum ducat, exquisitè tractavit Fred. de Marselaer *Lib. II. de Legat. Dissert. XLIX.*

XX. Solet etiam in ultimis voluntatibus redemptioni captivorum consuli, quod probat *L. XXIX. XLIX. C. de Episcop. & Cleric.* Igitur, si in redemptionem captivorum quicquam relictum fuerit, centum annorum lapsu tollitur, *L. XXIII. pr. C. de SS. Eccles. Joh. Althus. Lib. II. Dicaolog. cap. VI. n. LV. Fachin. XIX. controuv. jur. cap. III.* Illud controversum est: An quarta Falcidia, aut Trebellianica detrahi possit legatis vel fidei commissis redemptioni captivorum destinatis? Commendo *Fachin. Lib. V. controuv. Jur. c. XVII.* à quo dissentit Hahnus, existimans, in legato ad pias causas hodiè indistinctè dormire Falcidiam, *Obs. ad D. ad L. Falcid. n. IIX. Add. Cunr. Rittersh. part. VI. Jur. Justin. cap. XIV. n. VI.*

XXI. Proponendum & illud, an in carcerem redire debeat, qui dimissus est sub pacto, ut faceret dimitti alterum, qui factum morte prævenerit? Verbis meis non opus est. Consulatur *Grotius III. de J. P. & B. c. XXI. n. XXX. Alberic. Gentil. Lib. II. de Jure Belli c. XV.*

XXII. Deniq; cum liberatio captivorum etiam fiat permutando invicè captivos, quod frequens est in bellis nostris, permutatio illa hoc caput claudet & consignabit. *Grotius. Appud quas gentes jus illud servitutis ex bello in usu non est, optimum erit, permutari captivos, proximum, dimitti pretio non iniquo III. de J. P. & B. c. XIV. n. IX.* Permutationem quod attinet, dolum omnem utrinq; abesse debere *Albericus Gentilis Lib. II. de Jure belli cap. XV.* seriò disputat. Hinc doli postulabitur, qui captivum reddet, cui venenum propinaverat contra jus gentium, quod hostem veneno è medio tollere vetat. *Credibile est à*



Regibus id profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur, à veneno minus, quàm aliorum, tuta est, nisi defendatur juris aliqua religione, & metu infamie, verba sunt Grotii III. de J. P. & B. c. IV. n. XV. Confer Lips. V. Polit. cap. XVII. Neq; tamen silentio premendum est, veneni vocabulum τὸν μέγαν esse, L. III. §. II. D. ad L. Cornel. de sicar. Joh. Gædd. ad L. CCXXXVI. pr. D. de V. S. n. II. Petr. Theodor. Disp. VII. Colleg. Crimin. th. III. lit. A. Postremum sit, quod de dimissione bello Germano-Svecico captorum in Instrumento Pacis Osnabrugensi dispositum videmus: Omnes & singuli utriusq; partis captivi, sine discrimine sagi vel toge, eomodo, quo inter exercituum Duces cum Cæs. Maj. approbatione conventum est, vel adhuc convenietur, liberi dimittantur, art. XVI. §. Deinde.

## CAPVT V.

### De jure captivorum durante captivitate.

- |   |  |
|---|--|
| <p>I. Captivitate non dirimitur matrimonium.</p>                          | <p>VI. Miles ab hostibus captus privilegiis militaribus gaudet.</p>      |
| <p>II. Fœmina ab hostibus captasi vim eorum patitur repudiari nequit.</p> | <p>VII. Imo passim alia captivis indulgentur jura.</p>                   |
| <p>III. Usucapiendi facultas captivo concessa est.</p>                    | <p>VIII. In ultimis etiam voluntatibus favorem captivorum experimur.</p> |
| <p>IV. Legationibus rectè fungitur.</p>                                   | <p>IX. Conclusio cum monitis ad pacem internam &amp; externam.</p>       |
| <p>V. Contra eum indefensam in judicio nihil tentatur.</p>                |  |

I. Varia sunt, quæ captivis durante captivitate salva manent, inter quæ principatum tenet libertas, jam ante explicata, ut ad alia meritò transeam. Olim bonâ gratiâ dirimebatur matrimonium captivitate alterius conjugis contingente, L. I. D. de divort. & repud. L. LVI. D. Sol. matrim. L. XII. §. IV. D. de captiv. & postlim. revers. Consensu tamen redintegrari poterat, L. IIX. L. XIV. D. de Captiv. Perez. in Cod. de postlim. revers. n. VII. At Justinianus captivitate matrimonium statim & simpliciter solvi prohibuit veritus fortassis, ne spe tali illiniti ab



ab hostibus se capi libenter permetterent, vel etiam captivitatem affectarent. *Matth. Steph. Comm. in Nov. xxii. n. xxxv.*

II. Quid si foemina ab hostibus capta vim sacrilegorum nuptiarum experta fuerit, an solvi debet matrimonium? Decidit hanc quaestionem Ulpian. in *L. XIII. §. VII. D. ad L. Jul. de adulterius: Si quis planè uxorem suam, cum apud hostes esset, adulterium commisisse arguat, benignius dicetur, posse eum accusare jure viri. Sed ita demum adulterii maritus vindicabit, si vim hostium passa non esset. Coeterum, quae vim patitur, non est in ea causa, ut adulterii vel stupri damnetur. Repetitur hoc in L. xxxix. pr. D. eod. Vim excusare ab adulterio. Colligunt hinc, mulierem vi compressam à tyranno aliove potentiore, liberos ex eà conjunctione susceptos posse utiliter hæredes instituere, imò matri eos tam ab intestato, quàm ex testamento succedere affirmat Gothofr. ad *d. L. lit. M.* Illud addam, quod osculo victori dato adulterii commissi præsumptionem haud incurrat captiva, *Joh. Harpr. Disp. de adult. & stupr. nisi alia, quæ factum ipsum demonstrent, concurrant, Theodoric. Disp. VI. Colleg. Crim. th. II. lit. C.* Minimè enim admittendæ in causis tam gravibus suspiciones leves, vagæ, & incertæ, *Magnif. Dn. Joh. Otto Tabor racemat. crimin. I. th. XLV.* Igitur non possum assentiri Althusio, qui uxorem ob osculum dotem amittere existimat, *Lib. I. Dicaeolog. cap. CXXV. n. XIX.* Conferas velim Fachin. *XI. controuv. Jur. c. LXXV.* Sanè in Gallia, Belgio, & Anglia hac de re dubitare omninò fuerit ineptum, cum oscula ibi non libidinis, sed officiorum signa sint.*

III. Pergo ad materiam usucapionum, quæ elegantem mihi subministrat quaestionem. Regula juris Canonici in VI. est, sine possessione præscriptionem non procedere, quam explicat Dynus Muxellan. *tr. in regul. juris Pontif.* Queritur jam, an captus ab hostibus usucapiendi licentiam habeat? Videtur negandum esse; cum nihil possideat, imò etiam ab alio possideatur, *L. XXIII. §. I. D. de acqu. possess.* Sed obstat *L. XLIV. §. fin. D. de usurp. & usucap.* Dicendum erit, quod non usucapiat per se, sed per alium, quem habebat in potestate tempore factæ captivitatis, *L. XII. §. II. D. de captiv. D. Ludov. ad §. V. Instit. de action. Pac. ibid.* Objicies, non videri interruptam usucapionem illius qui per semetipsum possidebat, et si postea ab hostibus captus fuerit. Reversus enim jura recuperabit, cum quoad illa fingatur retrò semper in civitate fuisse, *L. XVI. D. de captiv. Di-*



stringendum erit cum Perezio *pralect. in Cod. de postlim. revers. & redempt. ab hostib. n. VI.* inter ea, quæ in factis, & quæ in jure consistunt.

I V. Captivi quoque legationibus ad suos non infeliciter funguntur. Fredericus de Marselaer *Lib. I. de Legat. Diss. XX. Ut legationes acceptiores sint, precibusque accedat gratia precantis, etiam qui ab hostibus capti detinentur ab iisdem Legati ad suos mittuntur. Atque hoc exemplo Regulus à Carthaginensibus missus est ad Senatum, & ab eo, ut hostium Legatus, auditus fuit extra urbem.*

V. Sed & hoc inter jura captivorum referri meretur, quod contra eos indefensos in judicio nihil tentari queat, *Gail. I. Obs. l. n. xxvii.* Cæterum si ex sua culpa abfuerit captivus, citatio ad domum ejus fieri debet, *Excell. D. Praeses Disp. IV. Trentl. th. IV. sub explic. adject. IV.* Hoc in causa Philippi Hassiæ Landgravii, in custodia Imp. Caroli V. superiori seculo agentis observatum memorat Joach. Mynsing. *cent. II. Obs. LXIX.* At si quis justitiam hujus sententiæ penetrare voluerit, non ineptè dixerit, haud abfuisse Landgravium per totum illud tempus suâ culpâ. Cui enim venia commissorum data est, ei servanda erit. Vid. *Sleidan. lib. XIX. de Stat. Relig. sub Anno M D XLVII. & Anton. Benbellon. Comm. ad Pac. Relig. part. II. cap. I.*

VI. Sed litem illam meam non facio, ne offendam fortè aliquem. Majori licentiâ id asseruerim, quod miles, qui ab hostibus captus est, perinde habeatur, ac si militaret. Quare si interea ejus tempora militiæ complentur, cum cæteris veteranis præmia & emerita accipiet, *L. III. §. XII. L. V. §. VII. D. de re milit. Censetur a. militiæ tempora complevisse, qui XX. annos in ea perduraverit. Plura si expetis, consule Perez. pralect. in C. de re milit.*

VII. Nec hîc dicendi finis est. Reperiuntur passim alia in jure nostro beneficia, quibus Legislatores favori captivorum velificari amaverunt. Inspicias *L. IV. §. III. D. si quis caution. in judicio sistendi caus. fact. non obtemper. L. XIV. XV. D. ex quib. caus. major. XXV. ann. in integr. restit. §. II. Instit. de Atilian. tutor. §. V. Instit. Quib. mod. jus pot. solv. & §. IV. Instit. de heredit. quæ ab intest. deferunt. &c.* Illud quæri scio: An stupra in fœminas captivas permissa sint? Verè negat Grotius *III. de J. P. & B. c. IV. n. XIX.* Neque enim solam injuriam, sed ipsum efferatæ libidinis actum hîc considerare par est, & quod is neque ad securitatem pertineat, neque ad pœnam. Proculus Cæsar centum Sarmatas Virgines, quas in bello ceperat, intra dies xv. signa-



signatas reddidisse fertur, *Crinit. Lib. II. de honest. disciplin. c. VII.* Adeo libidini atq; nequitiæ deditus fuit, quam etiam Flavius Vopiscus detestatur. De excidio Magdeburgensi Brachelius: *Mixta cadibus supra, & rursum expletâ libidine ferro sevitum, Lib. IV. historiar. nost. tempor.* Hoc quoq; disputari solet, an Rex captivus pacis condiciones offerre possit? Utar decisione Grotii: *Rex qui ætatis est ejus, quæ judicii maturitatem non habet, (quod in regnis aliquibus lege definitur, alibi probabilibus conjecturis erit æstimandum) qui imminutæ mentis est pacem facere non potest. Idem dicendum est de Rege captivo, si modo regnum ex consensu populi ortum habet. Non enim credibile est à populo imperium delatum ea lege ut & à non libero exerceri possit. Ergo & hoc casu imperii non quidem jus totum, sed exercitium & quasi tutela erit penes populum, aut eum cui id populus commiserit. De his tamen quæ privatim sua sunt, si quid pepigerit Rex, etiam captivus, valebit, ad exemplum eorum, quæ de privatis conventionibus dicemus. III. de J. P. & B. cap. XX. n. III.*

II. Superest, ut exponam an hæredes scribere aut scribi possint captivi? Primum quod attinet, is, qui ab hostibus captus est, rectè hæres instituitur, quia jure postlimini omnia jura Civitatis in personam ejus in suspenso retinentur, nõ abruptur. Igitur si reversus fuerit ab hostibus adire hæreditatē poterit, *L. xxxii. §. I. D. de hered. inst.* Scilicet multum interest, an aliquid penitus abruptatur, an verò in suspenso retineatur, *Gail. II. de P. P. cap. XV. n. vi.* Idq; de hodiernis captivis eò verius est, quo melior eorū cōditio. Neq; n. inter nos jura vetera captivitatum & postliminiorū viget, quod etiã in civilibus dissensionibus quondam obtinebat, *L. XXI. §. 1. D. de captiv.* Liberam quoq; testandi facultatem captivi ex nostris illibaram retinent. Exprimit hoc Excellentiss. Dn. Præses *Disp. II. Trentler. th. III. sub explic. adjunct. primi: In bellis Christianorum jura captivitatum & postliminiorū non obtinent (ob restitutam fortè vim ejus cognationis, quam inter homines natura esse voluit, Grot. III. de J. P. & B. c. IX. n. XIX.) sed captivi libere præstando salvâ semper libertate discedunt. Unde & testamentum ab iis in captivitate factum validum erit. Hæc facultas jure veteri captivis concessa non erat, §. V. Instit. quib. non est perm. facere test. Add. Gudelin. de jur. noviss. tit. X. Gædd. ad L. III. §. I. D. de U. S.*

IX. Atq; hæc de jure captivorum gliscentibus hinc inde bellis delibere placuit. Neq; enim omnia me dixisse gloriari velim, qui scio me solum non litare in hoc sacro. Dictum satis est profratione instituti mei. Cæte-  
um



rum antequam lectorem dimittam, pacis internæ & externæ studium  
paucis commendabo. Intus profectò in anima bellum est, quam vitia  
obsident ac oppugnât, imò sæpius expugnant. Hoc bellum quamprimû  
*ἀσπονδον* esse desierit, de pace externâ spes non incerta concipi poterit,  
quam variis remediis stabiliri posse luculenter explicat Loccen. *Lib.*  
*IV. de ordin. Rep. cap. XVI.* Verè Stephanus Nathen, condidit *Sporma-*  
*cher* in tractatu suo de *Iustitia vulnerata, Christianè, Juridicè, & Politicè cu-*  
*rata part. I. tit. II. cap. V.* *Ah quam sentimus hodie inimicum gladium nostro-*  
*rum peccatorum, ultorem discordiæ! Armis olim Germanus vicit, vitiis*  
*nunc victus est.* Quemnam quæso latere potest captivitas Babylonica,  
quâ Deus vitia populi sui emendare conabatur? At ubi nulla spes melio-  
ris frugis affulsit, tandem à Romanis penitus devastata est Hierosolyma.  
Averte Pacis Princeps, ne & nos aliquando pacis & internæ & exter-  
næ contemptores tale maneat excidium. Pax interna nos Tibi  
conciliet, Pax externa hominibus nos reddat  
amicos!

**PACEM SERVARE MELIUS EST,  
QUAM SPERARE.**















I. N. J.  
DISSERTATIO

DE  
**JURE CAPTIVORUM.**

Q V A M  
INDULTU NOBILISS. JCTORUM FACULTATIS  
IN ALMA LEUCOREA  
PRÆSIDE



*Nobilissimo, Excellentiss. Ampliſſ. VIRO*  
**DN. GOTTFRIDO SVEVO,**  
Jcto, & Antecessore in Academia VVittebergensi  
celeberrimo, Curia Electoralis, Facultatis Juridicae,  
Scabinatus, Consistorii Ecclesiastici, & Dicaſterii Inferioris  
Lusatiae Aſſeſſore eminentissimo

*Patrono suo ac Praeceptore Principe  
examini publico submittit*

**CASP. FRIDER. COCH.**  
MECKLENBURG.

*In Auditorio Jctorum.*

D. I. August.

---

WITTEBERGÆ,  
*Typis exſcripſit Joh. Hake, Anno MDC LVII.*